

men fecundam, et notionalem ad generandum Verbum. Neque hoc est ponere duplicem cognitionem in Patre sed unicam, quæ habet duplicem considerationem, scilicet et id quod essentialis cognitionis est, et quod communicat Filio, et id quod notionale, nec Filio communicatur. Et ex vi prioris considerationis intelligitur pro illo priori Filius ut cognitus et nondum ut dictus, licet in re sit dictus et genitus, sed non per illam cognitionem, ut præcise essentialis est, et sic potest habere illum pro objecto cognito essentiali cognitione, et nondum intelligi a nobis ut dictum et genitum illa cognitione ut notionalis est, id enim consideratio nostra partitur. Nec ex hoc quod Filius procedat per modum objecti cogniti, ut dicatur seu generetur, sequitur quod sit prior ipso Patre et generatione sui. Non enim sequitur, quod præcedat ipsum Patrem prioritate aliqua notionali, quia antecedentia objectiva seu per modum objecti non est antecedentia seu prioritas notionalis, ut patet in ipsa essentia, quæ se habet ut objectum fecundans intellectum Patris, nec tamen dicitur prior illi prioritate aliqua originis, nulla enim origo est inter essentiam, et Patrem. Quare quod Filius in ratione objecti cogniti præcedat nostro modo intelligendi, et Spiritus Sanctus et creaturæ ut objectum illius cognitionis comprehensivæ, qua generatur Verbum, nullum est inconveniens, quia est præcedentia seu distinctio per rationem nostram et in esse objectivo, sicut etiam unum attributum ratione nostra præcedit aliud, id est, distinguitur ab eo. Quod vero dicitur, quod Pater æternus est beatus a se, non ut ab unico objecto representato quo beatus sit, sed ut a principio improducto, et non accipiente ab alia Persona.

ARTICULUS II.

Quomodo visio beatifica penetret divina decreta libera?

I. Specialis difficultas est circa decreta libera Dei erga creaturas, quia licet in sua entitate aliquid increatum sint, et idem cum actu necessario, quo Deus se amat, et ex hac parte qui videt entitatem Dei, debeat videre entitatem actus liberi sicut et necessarii, eo etiam modo quo videndo divinum conceptum, et cognitionem debent videri omnes ideæ quantum ad entitatem, qua sunt ipse conceptus Dei; tamen quantum ad ipsam denominationem, et for malitatem liberi, et ut tangit creaturas ad quas terminatur, difficultas est quomodo possint penetrari et attingi ex vi luminis et visionis quidditivæ Dei in se. Nam liberum ut liberum ex ipsa ratione sui occultum est cognoscenti, imo et comprehendenti quidditatem aliqujus rationalis naturæ, ut patet in creaturis rationalibus; nam Angelus superior comprehendit inferiorem, et comprehendit hominem, et tamen cogitationes cordis nullatenus ex vi comprehensionis attingit, nisi alter voluerit revelare. Ergo multo minus lumen gloriæ quod datur ad videndum, et quidditative cognoscendum Deum, ex vi sua non penetrat liberos actus Dei ut liberos. Nam quoad istam connaturalem occultationem parificantur ab Apostolo ea, quæ sunt libera in homine, et in Deo, ut patet I Corinth III: *Quis scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est, ita et quæ Dei sunt nemo cognovit nisi spiritus Dei.* Ergo non minus occulta sunt decreta libera cognoscenti quidditatem divinam, quam sint occultæ cogitationes cordis cognos-

centi quidditatem hominis, et sic ex vi luminis manifestantis quidditatem Dei non possunt cognosci decreta libera ejus. Quod si recurratur ad specialem revelationem præter lumen gloriæ, difficile valde explicatur quomodo per illam videantur actus liberi Dei. Nam vel ista revelatio fit extra Verbum, vel non. Si primum, ergo non cognoscitur actus liber Dei per visionem beatam, sed solum per aliquem effectum extra Deum. Si secundum, ergo per lumen gloriæ debet fieri talis revelatio, quia quiddid cognoscitur in ipso Deo, per lumen beatificum debet cognosci, et sic redit difficultas posita, quomodo lumen videns essentiam divinam attingat libera decreta.

II. Nihilominus tamquam certum supponendum est beatos videre aliqua decreta libera Dei, et actus voluntatis ejus, licet non omnia. Quod est contra duas sententias extreme contrarias, quas refert pater Suarez libro secundo de attributis negativis, capit. XXIV, quarum una dicebat nulla decreta libera videri a beatis, alia vero dicebat omnia videri, quia entitas omnium videtur quoad substantiam. Cæterum Divus Thomas aperte docet nostrum præsuppositum. Nam prima parte, quæstione XLVII, articulo quinto, docet non posse Angelos naturali vi cognoscere mysteria gratiæ, quia dependent ex sola voluntate Dei « Est autem, inquit, alia cognitio, quæ Angelos beatos facit, quia vident Verbum, et res in Verbo. Et hac quidem visione cognoscunt mysteria gratiæ, non quidem omnia, neque æqualiter omnes, sed secundum quod Deus voluerit illis revelare. » Et tertia parte, quæstione decima, articulo secundo, docet nulli beato deesse, quin cognoscat in Verbo omnia, quæ ad ipsum spectant. Et quia ad Christum ut hominem spectant omnia

quæcumque de facto sunt, vel erunt, omnia hæc videt in Verbo. Constat autem quod ad cognoscenda ista omnia, oportet cognoscere actus liberos Dei, a quibus dependet existentia vel futuritio eorum, quæ de facto sunt, vel erunt. Videri etiam potest Bernardus v de consideratione, capite IV, ubi de beatis loquens: « Quidni, inquit, videatur ibi cor Dei? Quidni ibi probetur, quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens, et perfecta? Patent viscera misericordiæ, patent cogitationes pacis, divitiæ salutis, mysteria bonæ voluntatis, etc. » Videndus est etiam Divus Thomas quæst. VIII de verit. art. IV ad I, ubi docet illuminari Angelos inferioris a superioribus de consiliis, et rationibus divinorum operum, quæ perfectius cognoscunt, idque probat ex Dionysio, VII capit. de cœlesti hierarchia; consilium autem Dei pertinet ad decretum voluntatis, quia omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, et talia consilia, seu rationes videri ab ipsis in essentia divina docet expresse D. Thomas I part. quæst. CVI, art. I ad primum.

III. Ratio autem hujus manifesta est, quia Deus etiam in hac vita per fidem plura manifestat hominibus, quæ pertinent ad libera decreta sua, et liberam voluntatem, sicut sunt plura mysteria gratiæ, quæ Deus libere operatus est, sicut Psal. XXX dicitur: *Incerta, et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi:* et Amos III: *Non facit Dominus verbum nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas:* et I ad Corinth. II, cum dixisset Apostolus: *Quod ea, quæ sunt Dei nemo cognoscit nisi spiritus Dei;* subdit: *Nos autem non spiritum ejus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Ergo non minus in patria manifestabuntur beatis illa ip-

sa mysteria, quæ hic per fidem cognoverunt, et quæ pertinent ad libera decreta Dei. Ac denique, quia beati vident in Deo quæcumque ad eos pertinent, ut dicitur in Concilio Senonensi, et a D. Thoma et theologis communiter asseritur III part. quæst. x, artic. II, eo quod non esset aliquis perfecte beatus si ignoraret aliqua, quæ pertinent ad suum statum. Constat autem multa, quæ ad suum statum pertinent, et ad suos dependere ex libero decreto Dei, a quibus dependet ut existant, et sint futura.

IV. Quod vero non omnes actus liberi videantur a beatis, probatur, quia actus liberi non possunt videri nisi attingantur etiam ipsa objecta libere volita: nam videre actum sine objecto actus est videre ipsum formaliter in quantum actus liber est, et ut terminatur ad creaturas, sed solum videre entitatem illam actus liberi, quæ in Deo non est aliud, quam ipsa substantia Dei, et est idem cum actu necessario, denominationem autem, et connotationem liberi non attingitur in Deo sine objecto libere volito. Sed non omnia objecta libera cognoscit quilibet beatus: ergo neque omnes actus liberos Dei sub formalitate, et respectu liberi attingit. Minor constat, nam saltem: *De ultimo die iudicii nemo scit, neque Angeli in cælo*, ut dicitur Matth. xxiv, et Marc. xiii, quod utique maxime pertinet ad decretum liberum Dei juxta illud Actorum I: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*. Ergo non omnia quæ sunt in manu, et voluntate Dei videntur a beatis.

V. Reducitur ergo tota difficultas, ut explicemus quomodo ista decreta videantur a beatis, an ex vi visionis divinæ essentiæ per ipsum lumen gloriæ, an ex aliquo alio lumine, vel revelatione divina. Quam difficultatem satis exaggerat, et

exagitat pater Suarez, ubi supra numero septimo, non quod ista divina attributa videantur in divina essentia tamquam in causa, vel medio prius cognito, cum entitas eorum non sit causata a Deo, et ita non potest videri in ipso tamquam in causa prius cognita, sed eorum entitas videtur tamquam immediate existens in Deo, si quidem sunt ipsa substantia Dei entitative, et ita quantum ad hoc se habent sicut reliqua attributa. Neque etiam videri possunt mediante objecto volito, quasi per ipsum determinetur intellectus beati ad cognoscendum in particulari determinate decretum liberum Dei, quia objectum libere volitum habet se ut effectus voluntatis divinæ. In præsentem autem non agimus de cognitione decretorum divinorum in effectibus, et per effectus, sed in ipso Deo, si autem isti effectus in Deo videntur, restat difficultas quomodo in Deo videantur, et non mediante decreto, cum mediante illo libere sint futuri, vel existentes.

VI. Respondetur ergo ad difficultatem propositam, decreta Dei libera non solum quantum ad entitatem suam, sed etiam quantum ad denominationem, et formalitatem liberi, ut tangunt creaturas, videri a beatis ex vi luminis, et ex vi visionis non ut præcise ut lumen penetrativum est quidditatis, et prædicatorum essentialium, sed in quantum habet vim revelationis eorum quæ Deus voluerit manifestare in sua divina essentia, et in sua voluntate: illud enim lumen ob suam eminentiam utrumque munus habet et quidditative cognoscendi essentiam divinam, et manifestandi per modum revelationis ea quæ Deus libere vult quantum, et quomodo Deus. Cujus ratio est, quia lumen gloriæ eminentius est lumine prophetico, et comparatur ad ipsum sicut lu-

men principiorum ad ea, quæ ex principiis deducuntur. Unde dicitur a D. Thoma 2-2, q. CLXXI, art. II: « Quod principium eorum quæ per prophetiam manifestantur est ipse Deus, qui per essentiam non videtur a prophetis, videtur autem a beatis, in quibus hujusmodi lumen inest per modum formæ permanentis. » Sentit ergo quod lumen beatificum sic attingit divinam essentiam, quod attingit principium earum veritatum, quæ videntur lumine prophetico per modum transeuntis. Constat autem per prophetiam manifestari actus liberos Dei, et ea quæ per decreta libera Deus vult, ut in auctoritatibus supra relatis manifeste apparet, ergo etiam lumen gloriæ, quatenus eminenter continet lumen propheticum, vel est principium cognitionis eorum quæ lumine prophetico cognoscuntur, attingere potest decreta libera Dei. Similiter hanc revelationem quæ fit per lumen gloriæ respectu eorum, quæ Deus libere vult, videtur agnoscere Divus Thomas I part. quæst. LVII, art. V, ubi inquit: « Quod in visione beata Angeli cognoscunt mysteria gratiæ, non quidem omnia neque æqualiter omnes, sed secundum quod Deus voluerit eis revelare secundum illud Apostoli I ad Corinthios II: Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum. » Sentit ergo etiam in visione beata inveniri revelationem respectu eorum, quæ Deus libere vult, qualia sunt mysteria gratiæ, et sic lumen gloriæ quatenus habet vim revelationis, et manifestationis eorum, quæ sunt in voluntate Dei, et non ut præcise cognoscitivum est quidditatis divinæ penetrat decreta libera Dei.

VII. Hoc autem explicatur amplius ex doctrina quadam, quam in materia de Angelis ostendemus esse Divi Thomæ, quæst. IX de verit. art. IV ad XI, agendo de locutio-

ne Angelorum, et occultatione cogitationum cordis, scilicet quod per eandem speciem, et lumen quo cognoscitur ipsa substantia, et voluntas Angeli loquentis, etiam cognoscitur actus liber, seu cogitatio cordis, per hoc solum quod ipse cogitans velit ordinare cogitationem suam ad alterum, et hac ratione tollere occultationem moralem, quam habet cogitatio cordis ex eo quod libera est, et sic non est cognoscibilis naturaliter nisi ab eo, a quo procedit, vel ad eum, cui revelatur, seu ad quem ordinatur, quia per hoc quod ordinatur ad alium, redditur pertinens ad illum, et sic cognoscibilis est ab eo. Unde posita ista ordinatione, seu manifestatione per ipsummet lumen naturale, et speciem naturalem ipsius loquentis et accidentium ejus, cognoscitur ipsa cogitatio cordis. Sic ergo in præsentem per ipsummet lumen, quo cognoscitur divina natura, et quidquid ad quidditatem divinam pertinet, quod est lumen gloriæ, cognoscitur etiam potest actus liber Dei, sine distincti luminis infusione, per hoc solum quod velit Deus ordinare actum suum liberum, quatenus talis actus liber est, et erga tale objectum versatur ad intellectum beati, sic enim eodem lumine, quo cognoscitur naturam divinam, ejusque voluntatem, et actum voluntatis necessarium, potest etiam cognoscere liberum in quantum liber est. Et sic concurret essentia divina, quæ habet vicem speciei in intellectu beati, non solum ut determinans ipsum ad cognitionem quidditatis Dei, sed etiam liberi actus ut liber est, supposita ordinatione divina. Si vero noluerit ordinare actum suum liberum ad intellectum talis beati non cognoscat illum, quantumcumque cognoscat essentiam divinam, et entitatem ipsam voluntatis, et actus, sicut etiam potest videri omnipotentia,

et intellectio Dei entitative in se, sine hoc quod attingatur determinate, et in particulari omne objectum, in quod potest omnipotentia, et circa quod versatur intellectio, sed sufficit attingere formalem rationem, qua objecta ista attinguntur a Deo, quod pertinet quasi ad specificativum potentia, et intellectus sine hoc, quod penetret in particulari, et attingat quodlibet objectum materiale in particulari secundum se.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VIII. Primo, arguitur argumento facto a principio hujus articuli, quia actus liber Dei in quantum liber non est minus occultus de se, quam actus liber creatus, sed iste non potest cognosci ex sola penetratione, et cognitione quidditativa naturæ rationalis, sicut Angelus licet quidditative comprehendat alium Angelum præsertim inferiorem, non tamen cognoscit actus liberos ejus, sed indiget nova revelatione, seu manifestatione. Ergo etiam ex vi luminis gloriæ penetrantis divinam naturam, et cognoscentis illam quidditative non potest cognosci actus liber Dei sine nova revelatione, et consequenter sine novo lumine, quod non potest explicari quale sit, et quomodo sit distinctum a lumine gloriæ, si intra Verbum, et non extra videtur actus liber Dei.

IX. Confirmatur, quia si ex vi luminis gloriæ penetrantis, intime divinam essentiam videtur actus liber, ergo vel quilibet beatus videt omnes actus liberos Dei, vel nulum videre potest. Probatur consequentia, quia ex vi visionis ut est a lumine gloriæ, solum potest attingi entitas, seu quidditas actus liberi, neque enim ex vi luminis potest penetrari nisi id, quod reale est in ac-

tu, non quod pertinet ad relationem rationis, quæ a dicto actu connotatur, sed tota illa entitas actuum liberorum attingitur, quia indivisibilis est, ergo si ex vi luminis attingentis illam entitatem attingitur aliquod decretum liberum Dei, omnia decreta libera attingentur, quia omnis entitas eorum attingitur, vel si hoc non sufficit ad attingendum actum liberum Dei, nullus attingetur ex vi visionis, nam quod est denominatio rationis in illis, non attingitur ex penetratione entitatis realis, quia entitas realis non habet connexionem necessariam, cum eo quod est rationis, et ab intellectu fingitur. Et in hoc longe differt actus liber Dei ab actu libero nostro, quia in nobis libertas actus consistit in egressione reali a potentia, quæ non potest videri ex sola penetratione naturæ, et potentia, eo quod egressio libera, et moralis est. At vero actus Dei liber quoad suam entitatem est ipsa Dei substantia, neque egreditur a potentia, et sic quantum ad suam entitatem illi actus patent videntibus divinam essentiam. Determinatio autem hujus actus, ut liber est, respectu hujus, vel illius objecti est aliquid rationis, quod non potest ex vi penetrationis divinæ essentia cognosci, quia id quod est rationis non habet connexionem necessariam cum eo, quod est reale.

X. Respondetur, verum esse quod actus liber Dei non est minus occultus, quam actus liber creatus. Cæterum sicut actus nostri non possunt cognosci ex sola penetratione quidditatis, aut ex naturali lumine per se solum, bene tamen per ipsum adjuncta manifestatione alterius, vel ordinatione ejus ad eum cui loquitur manifestativa sui actus illa autem posita statim ipsum lumen naturale potest cogitationes

cordis cognoscere; ut autem cognoscat illas alio nolente, exigitur lumen supernaturale, ita per ipsam speciem, quæ est essentia divina, et per lumen gloriæ, quo attingitur ejus essentia potest etiam attingi actus liber Dei supposita ejus ordinatione, et manifestatione talis, vel talis actus liberi ad istum, vel illum beatum, contra ejus vero voluntatem nullo modo potest, sicut Angelus per speciem quam habet naturalem de alio Angelo, potest actum liberum ejus cognoscere, adjuncta solum ordinatione alterius Angeli ad ipsum, qua velit eam manifestare, ut S. Thomas expresse docet loco supra citato, ex quaestione ix de veritate Bene tamen verum est, quod ista manifestatio actus liberi Dei, ad beatum non fit per successiones temporum, sed ab ipso principio beatitudinis, quia visio illa immutabilis, et æterna est.

XI. Ad confirmationem respondetur beatos videre entitatem omnium actuum liberorum qui in Deo sunt, neque enim sunt plures actus entitative, sed solum dicuntur plures respective ratione attingentia erga objecta creata, sicut etiam ideæ sunt plures in Deo respective, ut attingunt res ideatas, licet sint unum entitative ex parte Dei. Et sicut visio beata attingit entitatem omnium idearum, quæ non sunt aliud a substantia Dei, non tamen attingit omnes ideæ respective secundum quod determinantur ad creaturas, sed juxta modum penetrationis divinæ essentia, plus vel minus vident de ideis divinis: ita ex vi visionis, quilibet beatus videt totam entitatem actuum liberorum Dei, non tamen videt exercitium, et determinationem istius actus erga objecta libera, nisi juxta quod Deus libere vult, et ordinat istum actum ad intellectum sicuti ut illi manifes-

tetur. Et hæc ordinatio, quatenus sic determinat essentiam divinam in ratione speciei, et sic applicat lumen gloriæ, ut tale decretum videatur, dicitur revelatio Dei. Et cum instatur quod ista terminatio actus Dei ad objecta libera est respectus rationis, qui non potest videri ex vi visionis actus realis, quia cum illo non habet connexionem necessariam, respondetur illam terminationem explicari a nobis per respectum rationis erga creaturas, eo quod non est in Deo dependentia aliqua, vel realis relatio ad creaturas, sed summa, et absoluta attingentia, quæ ratione suæ eminentiæ infinitæ potest attingere libere, vel non attingere illas creaturas, et unico actu eminentissimo simul facit id quod nos per plures actus efficiamus, et sic simul est actus necessarius, et sua eminentia faciens id quod nos per pluritudinem actuum. Unde formaliter actus liber in Deo aliquid reale est, licet non sit realiter distinctum ab actu necessario, sed solum per rationem, quatenus intelligitur terminari ad creaturas, quod nos per respectum rationis ad creaturas explicamus. Quare ad videndum actum liberum a Deo, ut libere terminatur ad creaturas, non est necesse recurrere ad respectum rationis formaliter sumptum, ut formatur a nostro intellectu, sic enim non habet connexionem cum ipsa divina essentia, sed sufficit recurrere ad ipsam eminentiam divinam, quæ respectu creaturarum est omnino independens, et libere illas tangit, a nobis autem explicatur per respectum rationis erga creaturas. Et ista eminentia quantum ad suam entitatem a quacumque visione beati attingitur, et de se manifesta est, sed quantum ad determinationem ad creaturas, et ut libere exercetur erga illas occulta est, et non nisi ex divina ordinatione speciali mani-